CORONAM COELI

VIRO

Plurimum Reverendo, Clarissimo, atque Doctissimo

DOMINO

M. GODOFREDO WEISSIO,

Ecclesiastæ ad Templum D. Mariæ Meritissimo,

Cum agone molesti morbi superato

IV. Calend. Maji Anno cIↃIↃccXIV. placida morte decederet,

&

Festo Ascensionis Christi

Solenni ritu humaretur afflictos solatio erigendi causa

Gratulari volebat

M. SAMUEL AXT,

Rev. Minist. Candid.



Impressit Joan Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogr.

Sic proh dolor!
inopinata morte abreptus est
Vir, qui viam aliis in vita ad vitam monstravit,
ignaros docendo,
errantes in viam revocando,
mœstos solatio erigendo.
Plangite!
nam cecidit
corona Ecclesiæ
Vir de Ecclesia puriori optime meritus
M. Godofredus Weissius
Theologus solidus
Et V. D. apud Thorunienses fidelis præco,
Vir qui ob suam in divinis humanisque rebus sapientiam
Sapientiæ corona ornatus, splendebat.
Olim octo coronarum genera in usu erant.
Laurea ornabatur Triumphator,
graminea Obsidionis Liberator,
querna civium Servator,
myrrhea rebellium domitor,
oleagina hostium Superator,
rostrata navali prælio superior
vallari vallis victor.
B. M. WEISSIUS quoque virtutis corona enituit.
Fuit vitiorum Triumphator.
spiritualiter Obsessorum Liberator
in æternum exitium ruentium Servator,
Rebellium adversus DEum Domitor,
hostium spiritualium Diaboli mundi & carnis Superator,
illorum virium destructor,
in quovis certamine superior,
in omni lucta victor.

Atque

Atque sic non unam sed multas meruit vincendo coronas.
Theagennes Theasius quatuordecim millia coronarum vincendo meruit Teste Pausania L. 6.
Meruit plures B. M. WEISSIUS superata lucta coronas.
Meruit ut ejus memoria diu colatur,
& inter lachrymas sæpius recolatur.
De Scipione scribit Cicero: omnes ipsi imortalitatem optasse.
Optassent & hoc omnes B. M. WEISSIO si potuissent.
Sed quod ipsi libenter optassemus in terra,
Impetravit in cœlo.
Impetravit pro mortalitate immortalitatis coronam,
mutando terram cum cœlo.
Hic non habebat civitatem manentem
ibi in æterna habitacula receptus est.
In his mansurus signum statuit, audita voce, Summi Ducis:
signifer statue signum (a)
Sane quisquis rerum præsentium faciem intuetur,
quisquis præterita animo recolit,
præsentia videt,
futura exspectat;
felicissimum existimat B. M. WEISSIUM, qui huc demigravit.
Ille enim jam Asylum cœleste intravit,
Cujus porta eandem cum Asylo Lugdunensi inscriptionem habet:
Hac itur ad securitatem. vid. Golniz. Ulyss. Gallo Belg. p. 320.
Expertus est B. M. WEISSIUS
Maximum vitæ bonum mortem esse. [b]
Ingressus est urbem pacatam & felicem, relicta pugnaci. (c)
Domum inhabitat non auream, ut olim Imperator Nero (d)
verum omni auro præferendam.

Non

(a) Alluditur ad historiam de Romanis qui cum jam in animo haberent urbem relinquendi, ad monebantur duce quodam ut à proposito suo desisterent his verbis: signifer statue signum vid. Liv. L. S. C. 33.
(b) Alluditur ad Ferdinandi Nonii Prof. in Salmantica Testamentum in quo expresse sequentia verba cippo incidi voluit: maximum vitæ bonum mors Thuan: hist. L 2. p. 225.
(c) Respicitur ad opinionem Sileni qui extra hunc mundum duas urbes piam alteram & felicem, alteram pugnacem statuit. Var. hist. L. 3. c. 18.
(d) Nero cum dedicasset domum auream, inquiebat: tandem quasi hominem habitare se cœpisse.

Non ut ſubditus, verum ut Rex,
non ut mortalis homo, verum ut immortalis Angelus
corona vitæ ornatus jubila inſtituit.
In Regno Peru Rex primo corona coronatur plumbea. (a)
Coronam quoque plumbeam in hac vita geſtavit B. WEISSIUS.
Coronam, quæ multum ſudoris ſibi expreſſit.
Nunc pro corona plumbea adeptus eſt auream,
non bilibrem, qualem Imperator Aurelianus olim ſuis promittebat militibus, (b)
Sed coronam omnibus coronis pretioſiſſimis etiam anteponendam.
Hac corona in cœlo ornatus, meliori jure quam olim Græci Imperatores a DEO ipſo coronatus dici poteſt (c)
Hæc corona aufert ab ipſo omnes defectus, ut nunc Regnum cœleſte ad ipſum jure pertineat.
Nunc in exquiſita degit felicitate & relictos quaſi his verbis erigit:

Amici mei omnes deſinite
Luctu quietem nunc meam rumpere
vixi namque ut morerer.
mortuus ſum, ut viverem,
vobiscum demum victurus, cum mortua mors fuerit.

(a) Vid. Eraſm. Franciſc. Luſt-Schaub. P. I. p. 293.
(b) Aurelianus Imperator profecturus ad bellum orientale promittebat militibus coronas bilibres & poſtea cum populus ſperaret aureas, coronas faciebat de panibus vid. Vopiſc. c. 35.
(c) Græci Imperatores volebant dici θεόστεφει quia in nummis ita repreſentabatur quaſi cœlitus corone ſibi imponeretur. vid. Conring. ad Lampad. p. 3. c. 2. §. 2. p. 104.